re familiari deguntur animo, cor contrahunt, fiunt parci
avari, ſordidi: Deus accuſatur iniquus quod non recte dividat,
proximus criminatur malignus, quod non plene ſubveniat, in„
dignantur, murmurant; et ut inopiam ſuam vel levent, vel iā
iam imminentem foribus fugent, iura violant, fraudes, et men„
dacia concinnant, aguntur in furta, latrocinia, cædes, imo
eo audaciæ nonnunquam etiam procedunt, ut rebus ſacris ô
flagitium! manus injicere, calicem aliquem, vel aliud quidvis pre„
tioſum ſurripere non vereantur. Subinde etiam in ſilvis ex in„
ſidijs latitantes in prætereuntem forte Lanionem, qui non niſi
bene nummati, et turgido pecunijs marſuppio domo egredi ſolent
ſclopeto manum admovent, explodunt, et ad hunc palpitantem
adoriuntur, invadunt, interimunt, ſpoliant. Vos appello
auditores quid cauſæ eſſe putetis, quod aliqui relictis domi
uxore, liberis, in caſtra militaria ſe conferant, alij ſuſpendio
infelici infelicius ſibi vitam adimant, nonnulli etiam prô
nefas Deo ter opt. max. omnibusque Sanctis eius abrenuncian„
tes ſervituti Dæmonum ſeſe addicant? an non pleroſque ad
tanta facinora, tam immania, tam crudelia, tam horrenda im„
pellit? impellit. Quocirca divinum illud oraculum Salomon
ſapienter deprecatur tam paupertatem, quam divitias: Men„
dicitatem, inquit, et divitias ne dederis mihi, tribue tantum
victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum,
et dicam: Quis est Dominus? aut egeſtate compulſus furer
et periurem nomen Dei mei. Durum n. telum est egeſtatis ne„
ceſſitas, ſceleri proclivis, in perpetrandis malis prompta, et
expedita, atque ad quidvis audendum parata, non minis, non